

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm**

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In  
Novum Testamentum

**Erasmus, Desiderius**

**Berolini, MDCCLXXX**

**VD18 90514300**

Vita Sancti Petro Apostoli Per Divum Hieronymum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14035**

---



---

## VITA SANCTI PETRI APOSTOLI

PER

DIVUM HIERONYMUM.

**S**imon Petrus filius Ioannis, provinciae Galilaeae, vico Bethsaida, frater Andreae apostoli, et princeps apostolorum, post episcopatum Antiochenis ecclesiae, et praedicationem dispersionis eorum, qui de circumcissione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, et Bithynia, secundo Claudii anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum annum Neronis, id est, decimum quartum. A quo et affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, et in sublime pedibus elevatis, asserens se indignum, ut sic crucifigeretur, ut dominus suus. Scripsit duas epistolas, quae catholicae nominantur, quarum secunda a plerisque eius esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam. Sed et evangelium iuxta Marcum, qui auditor eius et interpretes fuit, huius dicitur. Libri autem eius, e quibus unus Actorum eius inscribitur, alius evangelii, tertius praedicationis, quartus apocalypsis, quintus iudicii, inter apocryphas scripturas reputantur. Sepultus Romae in Vaticano iuxta viam triumphalem, totius urbis veneratione celebratur.

Ccc 3

In

IN  
EPISTOLAM PETRI  
PRIOREM  
ARGUMENTUM  
PER  
DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

**P**etrus, quemadmodum et Iacobus, Judaeis scribit sparsim incolentibus gentium regiones, epistolam profecto dignam apostolorum principe, plenam auctoritatis ac maiestatis apostolicae, verbis parcam, sententiis differtam. Hortatur autem ad tolerantiam malorum, quae ob evangelii invidiam perpetiebantur spe praemiorum. Ad haec admonet, ut iuxta prophetarum oracula ad tantam dignitatem vocati gratis, vitam praestent sua professione dignam. Christianismum enim non in titulo aut baptismo tantum, sed in morum innocentia situm esse, alioqui quod affliguntur malis, non cessurum ad gloriam Christi, si ob malefacta poenas dare videantur. Insuper admonet, ne freti christianismo detrectent parere magistratibus, licet ethnicis, ne provocati illi nec convertantur ad Christum, et acrius faeviant. Item ne servi negent officium suum heris, licet ethnicis, christianae bonitatis esse omnia perpeti. Item